

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Pauli Ad Ephesios Argumentum Per Des. Erasmum
Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

IN
EPISTOLAM PAULI AD EPHESIOS
ARGUMENTUM

PER

DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

EPheſus metropolis quondam erat Aſiae minoris, ci-
 vitas ſuperſtitioſe dedita cultui daemonum, et praeci-
 pue Dianae, unde et in Actis Dianae neocoros dicitur,
 non illius venatricis, cui poetae ſagittas et arma tribu-
 unt, ſed multimammiae, quam Graeci polymaſton
 appellant, quam volebant omnium animantium eſſe nu-
 tricem, ut indicavit Hieronymus. Nam de templo
 Epheſiae Dianae, toto orbe celebratiſſimo, paſſim et-
 iam ethnici meminere ſcriptores. Hos curioſarum ar-
 tium tenebat ſtudium. Unde legimus, ad praedica-
 tionem apoſtolorum magicos libros ab eis comporta-
 tos igni traditos fuiſſe, et ſupputato pretio comper-
 tum fuiſſe, quinquagies mille nummum argenti, ſicu-
 ti refertur in actis capite decimo nono. Ut igitur a
 tantis erroribus illos abduceret, triennium apud illos
 egit, nihil interim non faciens, quod ad illorum ſalu-
 tem conducebat, magno ſtudio reclamantibus et ob-

strepentibus multis, sicut ipse testatur alicubi, ubi et bestiis obiectus est, quemadmodum ipse memorat in secunda ad Corinthios epistola. At discedens, Timotheum apud eos remanere iussit. Abundabat autem ea civitas, ut curiosis et magiae deditis, ita doctissimis viris. Unde Paulus, ut ad omnium mores et ingenia sese attemperat, de daemonibus ac spiritibus crebro meminit, bonorum ac malorum differentiam indicans. Ad haec retrusa quaedam aperit. Nec enim est ulla epistola, quae tam abditos habeat sensus, ut ob hanc potissimum Petrus scripsisse videatur: *Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Hos igitur, quoniam in fide perstiterant, hortatur ut pergant, et ad perfectionem proficiant, commonefaciens cuiusmodi fuerint, quum vitiis addicti servirent impiis spiritibus, et quales nunc facti sint, infiti Christo, docens interim evangelii gratiam consilio divino, licet Judaeis promissam, in gentes quoque recte propagatam, et huius muneris se ministrum a Deo constitutum. Quoniam autem scripsit e carcere, hortatur ne deiiciantur animo ob ipsius afflictiones, verum eas potius sibi gloriae ducant. Haec agit capite primo et secundo. In caeteris tribus vitae formam illis praescribit, demonstrans, quid sequendum, quid fugiendum, quae officia maritorum in uxores, uxorum in maritos,

quae parentum in liberos, liberorum in parentes,
 quae dominorum in servos, servorum in dominos.
 Scripta est epistola ab urbe Roma per Tychicum
 diaconum, cuius meminit in calce, fidelem mini-
 strum eum vocans. Ambrosius addit, scriptam e
 carcere, quum Hierosolymis Romam deductus sub
 fideiuffore degeret extra castra in suo conducto.

ARGUMENTI FINIS.



IN
 EPISTOLAM PAULI APOSTOLI
 AD EPHESIOS
 PARAPHRASIS

PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM,

CAPUT I.

PAulus legatus non Mofi, aut ullius hominis, sed **1**
 Iesu Christi, cuius ago negotium, legatus autem non
 meapte occupatione, aut hominum delegatione, sed
 auctoritate iussuque Dei patris, qui me per filium su-
 um iussit evangelicae doctrinae inter gentes esse prae-
 conem, hanc epistolam scribo omnibus, qui vivunt Ephe-
 si, et ita vivunt, ut et ab huius mundi vitiis ac sordi-
 bus sese tueri studeant immunes, et sincero pectore
 credant evangelio Iesu Christi, non aliunde sperantes
 innocentiae sanctimoniaeque praemium, quam unde
 sumserunt exemplum, nec ab alio praestolantes felici-
 tatis suae summam, quam unde profectum est exordi-
 um. Interim opto vobis, non quae solent **ii**, qui fe- **2**
 licitatem suam huius mundi praesidiis metiuntur, sed
 opto, ut Deus auctor bonorum omnium, quem iam
 patrem etiam nostrum appellare possumus, non solum
 ob id, quod ab eo conditi sumus, verum multo ma-
 gis, quod insiti corpori Christi cooptati sumus in ius